

prudentia ac diligentia esse civitas non potest; quorumque descriptione omnis rei publicae moderatio continetur. Neque solum his praescribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus. Nam et qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est: et qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. Itaque oportet et eum, qui paret, sperare, se aliquo tempore imperaturum: et illum, qui imperat, cogitare, brevi tempore sibi esse parendum. Nec vero solum, ut obtemperent obedientque magistratibus, sed etiam ut eos colant diligentque, praescribimus, ut Charrondas in suis facit legibus. Noster vero Plato Titanum e genere statuit eos, qui ut illi coelestibus, sic hi aduersentur magistratibus.

Quinctil. II. 2. Magistri in primis inspici mores oportebit. Ideo major adhibenda cura est, ut et teneriores animos ab injuria sanctitas docentis custodiat, et ferociores a licentia gravitas deterreat. Neque vero satis est, summam praestare abstinentiam, nisi disciplinae severitate convenientium quoque ad se mores adstrinxerit. Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum, a quibus sibi liberi tradantur, existimet. Ipse nec habeat vitia, nec ferat. Non austertas ejus tristis, non dissoluta sit comitas, ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honesto, ac bono sermo sit. Nam quo saepius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime iracundus, nec tamen eorum quae emendanda erunt, dissimulator, simplex in docendo, patiens laboris, assiduus potius quam immodicus. Interrogantibus libenter respondeat, non interrogantes percontetur ultro. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus: quia res altera taedium laboris, altera securitatem parit. In emendando quae corrigenda erunt, non acerbus, minimeque contumeliosus. Nam id quidem multos a proposito studendi fugat, quod quidam sic objurgant, quasi oderint. Ipse aliquid, imo multa quotidie dicat, quae secum audita referant. Licet